DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

MORBIS EX VERMIBUS,

QUAM

AUSPICE DEO PROPITIO

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

POTENTISSIMI REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO AULICO,
MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATURALIS PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO
FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,

PRO LICENTIA

HORIS LOCOQUE CONSUETIS,

ANNO MDCCXXV. D. JANUAR.

PUBLICAE AC PLACIDAE ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET,

AUCTOR ET RESPONDENS

DAVID SIGISMUND WEIST,

PRACTICUS WIGANDSTHALIENSIS.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr.





Uia ſub Principio Praxeos meæ, nonnullos ægrotos DEO adſiſtente, Epilepſia & aliis ſonticis morbis oppreſſos curavi, qui affectus à Vermibus ortum traxerunt, ita in hac mea inaugurali Diſſertatione, de iis etiam Morboſis afflictionibus conſtitui agere, quæ oriuntur ex Vermibus. Non animus quidem mihi eſt, ut negare vellem, quod tales Morbi, quorum cauſam hoc loco in Vermibus quæſivi, etiam non aliam alibi cauſam, alio videlicet tempore & in aliis ſubjectis & caſibus pro fundamento habere poſſint: ſed tantum brevibus demonſtrabo, quod Vermes etiam omnium ho-

rum Morborum, quos hoc loco enarrabo, causa possint esse. Adsistat vero mihi in commendanda hac utili observatione divina benignitas, ut omnes mei conatus benè & prosperè succedant, eoque ipso gloria altissimi & artis medicæ commodum atque certitudo quadantenus promoveatur.

§. I.

ANtequam Morbos illos enarro, qui a Vermibus oriuntur, ante omnia ostendere volo, quot genera Vermium dentur, Experientissimi & doctissimi Viri multa illorum demonstrant, qui insolitis aculeatis, interdum plane magnis & monstrosis figuris occurrunt & qui admiratione dignos & atrocissimos affectus causari solent, nec non aliquando, licet rarius Vermes Cornuti scilicet, hirsuti, quadrupedes, multipedes, bicipites, tricipites, cauda bifurcata præditi ejiciuntur. Sed omnia hæc genera, non nisi nomine allegare volui; illos adhuc addo vermes, quos nonnulli Auctores in sanguine humano statuunt, & propter hanc opinionem, multa alia genera Vermium supponunt.

§. II.

Satis commode vero, in tres classes possunt dividi. Ad primam pertinent itaque *Teretes longi*, qui

qui ob ſimilitudinem, quam cum lumbricis terreſtribus habent *lumbrici* vocantur, Spuhl-Würmer. Ad ſecundam pertinent *lati* & l. ſolitarii ſeſe volutant, ad quorum claſſem *cucurbitini* ſemini cucurbitæ ſimiles referuntur, vel catenatim ſubinde cohærent, & e latitudine ſua in longitudinem plurium ulnarum diducuntur. Ad tertiam pertinent Teretes breves, qui Aſcarides vocantur, & vermiculis caſei ſimiles ſunt, qui ſaltum facere ſolent, ſed talis motus in hiſce Aſcaridibus non ita deprehenditur, licet denominationem inde, nempe ab ἀσκίω moveo, accepiſſe videantur.

§. III.

Quod Generationem Vermium attinet, Autores nondum conveniunt, nonnulli dicunt, quod a putredine quadam, in corpore humano, præcipue in primis viis contingente, originem ducant, eo modo, quo e. g. generentur animalcula in caſeis, carne putreſcente. Alii dicunt in aëre exiſtere ſeminium inſectorum, & quia in aere verſaremur, communicaretur nobis hoc ſeminium, ſed hanc ſententiam premunt multæ difficultates, primo, quia Vermes non conveniunt cum inſectis illis, quoad figuram, ſecundo inſecta utuntur libera aura & non poſſunt in locis occluſis facile vivere, Vermes e contra, poſſunt vivere in locis occluſis, & non in libera aura. Nonnulli etiam dicunt, Vermes transmitti ex uno corpore in alterum, ſc. per nutricum ſalivam, quando nutrix infecta eſſet

Vermibus, esse sc. in saliva, & in dentibus impuris & in ore labe adfecto semen Vermium, hoc semen vero communicari infantibus per masticationem ciborum. Et huic sententiæ ex parte subscribo: vid. Patholog. D. D. Præsidis.

§. IV.

Causæ externæ possunt esse cibi crudi, mucidi, dyspepti, lacticinia, saccharata, quando a nutrice lactantur, & illis hoc tempore caro obtruditur, si novum capiunt cibum, quando primus nondum concoctus est.

§. V.

Vermes communes sunt ætati infantili, Adolescentiæ, juvenili, virili, neque erravero, quando dico, quod etiam embryoni quidam Vermes in massam sanguineam communicentur: Adulti & senes etiam non excluduntur a verminosa inquinatione. Frequentiores etiam sunt vermes sexui sequiori, quam Masculino, quia sexus sequior magis de lymphatico chyloso humore participat.

§. VI.

Ratione locorum, ordinarium domicilium Vermium intestina tenuia & crassa; nec non ipse ventriculus, præs. lumbricorum sunt; e ventriculo ægre etiam ejiciuntur, causantur etiam in illo multa periculosiora symptomata. Præter Vermes intestinales, sunt & alii multas corporis partes occupantes, uti Vermes dentales, gingivales, renales, pulmonarii, cardiaci, sanguinarii, urinarii, cutaneii,

umbi-

umbilicales. Vermes in Hepate, in faliva &c. fed hi omnes, non nifi in ftatu morbido inveniuntur. Cucurbiti habitant in univerfo inteftinorum fyftemate, hinc caufantur graviora fymptomata, quam lumbrici. Communes funt ætati adultiori & fenili. Afcarides contenti funt in inteftino recto.

§. VII.

Signa Vermium funt fequentia, de variis abdominis pathematibus circa umbilicum fpafticis conqueruntur, variaque Tormina Tenefmoidea experiuntur afflicti homines, præcipue jejuni exiftentes: porro naufeofis quafi vomibundis conaminibus vexantur, fub quibus multus ac copiofus limpidus liquor ex œfophago afcendit & in os confluit, quem exfpuere coguntur, quod fymptoma præcife urget maxime illo tempore, quo ægri alias jentaculum aut prandium capere fueverant, nunc autem aliquando cibum capere protrahunt, quo asfumto, ftatim dicta pathemata remittunt atque fedantur. Ab ingratis cibis aut medicamentis acidis vel amaris vermes irritantur & tormina abdominis augentur, affumtis gratis dulcibus præf. lacticiniis mox iterum placantur & fiftuntur. Aliquando adeft magna voracitas, ut fatiari quafi nequeant cibis, a quibus tamen corpus incrementum capere non folet, præprimis vero cibos frigidos, panem ficcum, aliave avide petunt, calidos vero cibos refpuunt: junctus eft his faciei pallor quafi perpetu-

us,

us, qui tamen aliquando minus ſtatis temporibus, ſed vage mutatur in genarum ruborem, ita tamen, ut una ſaltem præ altera gena rubeat, altera vero palleat, cum variatione genarum reciproca.

§. VIII.

Infantes etiam ordinarie quaſi & perpetuo nares fricant, aut aliquid quaſi moleſtum e naribus detrahere conantur, in albumine & concavitate univerſo oculorum liveſcentia obſervatur. Inquiete & cum pavoribus dormiunt, quando vigilant, clamant, & plorant ſemper, & quia fari nequeunt, indicare digito quaſi volunt dolores ſuos, dum contrectant ſæpe corpus ſuum, ſub ſomno ſæpiſſime dentibus ſtrident, ut plurimum ventres duros ac tumendes habent, aliquando etiam magna præſente Vermium copia inæqualitas ventris globoſa concurrit, quaſi globuli vermium in inteſtinis adſint. Aliquando vero retractio umbilici & abdominis circa illum concurrit. Alvus modo obſtructa modo laxa eſt. Adeſt ſiticuloſitas, præcipue ſub jejunio, imo ſubinde tempore nocturno.

§. IX.

Progredior jam ad ſingularia ſymptomata morboſa aut affectus morboſos cum vermibus cohærentes; tales affectus qui oriuntur a vermibus ſunt ſequentes; primo multi affectus vertiginoſi, atrophia cum inflatione abdominis vid. act. Med. Berol. quo affectu, puella anno decimo liberata

rata est, cum merc. dulc. gr. IV. & Ref. jalapp. infantes qui Atrophia laborabant a Vermibus in praxi mea liberati; Contigit ante aliquod tempus ut Medicus quidam, & post hunc tonsor in oppido quodam puellæ Atrophia laborantis curam tractaverint, quamvis minus sperato successu, quia curam non dirigebant ad Vermes, donec ego accersitus centum Vermes e corpore ejiciebam; porro á vermibus oriuntur affectus soporosi. vid. Act. Med. Berol. ipse ego similes patientes curavi; a Vermibus præterea proveniunt motus convulsivi, Epilepsia: prima ægrota in praxi mea erat puella annis decem, quæ indies laborabat tricies Epilepsia, quæ horribilibus actionibus exercitabatur, cursitabat per pagum delirans, clamabat, circumjiciebatur, cum vero centum Vermes ab eadem evacuaverim, restituta fuit & bene adhuc valet ad *hunc usque diem:* proinde a vermibus dependent particulares convulsiones v. g. quæ nullam partem occupant, quam solam faciem, labia, oculos, nasum. vid. Act. Berol. Med. Vermes porro causantur non solum febres acutas, malignas, inflammatorias, sed & intermittentes, quas etiam quoque augent. Chorea S. viti ortum etiam trahit a Vermibus. vid. Act. Med. Berol. Tussis periodico-spasmodica cum copiosa materiæ mucidæ excretione, quam cum valde laboriosa esset, communiter vomibunda ventriculi aversio comitabatur, oritur ex Vermibus vid. Act. Berol. febres continuæ cum deliriis & singultu curatæ sunt per clysteres & Mercurium dulc. cum jalapp.

§. X.

Ex Vermibus oriuntur Diarrhœæ tam ſimplices, quam bilioſæ, imo plane ſanguineæ dejectiones, porro appetitus vagus, nauſea, paſſiones colico-hypochondriacæ, paſſiones hyſtericæ, febres tertianæ, febres cum maculis, maculæ ſine febre. vid. Directorium Moroni ſub Titulo verm. & febr. Deliria, Eraſmus Epiſt. in laudem Medicinæ exemplum cujusdam pueri, qui in delirio á Vermibus linguam germanicam, ab illo nunquam auditam, locutus fuit, allegat. Ictericæ cutis deturpationes, inſolitæ plane motitationes, vomitus cruentus, in ſcorbuto major fœtor oris, maculæ. Obſtructio alvi, ſoda, flatulentia, procidentia ani, palpitatio cordis, affectus arthritici, mania, melancholia a lumbricis vomitus, cardialgia, ſyncope, ſingultus, vocis privatio, tormina inteſtinorum, capitis dolor, ſopor gravis, Deliria, mœror, triſtitia, febres, angina, pleuritis, aliaque ſymptomata. vid. Sennert. Latos lumbricos qui habent, appetentia cibi nimia laborant, ac niſi cibus offeratur, dolor & morſus in ventre percipitur &c. certiſſimum ſignum eſt, quod cum alvi excrementis corpuſcula quædam cucurbitæ ſeminibus ſimilia excernantur. vid. Ettmüll. ſignum Pathognomonicum Aſcaridum, eſt pruritus in Ano vix tolerabilis; ægrotantes etiam frequentiſſime teneſmum habent.

§. XI.

Quod Hemiplexia, Apoplexia, paralyſis linguæ, Delirium ridiculoſum, Epilepſia, & convulſiones

nes particulares, obſtructiones lochiorum eſt Menſium a vermibus oriantur, id exemplo quodam ex propria praxi mea demonſtrare poſſum: Erat ſartoris uxor in noſtro oppido, 23. annorum, quæ ante quadrantem anni terminum peperit ſecunda vice, ſemper ante partum, poſt partum & in partu, laborabat Epilepſia, quæ tamen iterum ſponte ceſſabat, quando non gravida erat, laborabat etiam obſtructione Menſium, in puerperio, obſtructione lochiorum cum atrociſſimis paſſionibus colico-hyſtericis, intentio mea ad promotionem lochiorum directa erat, ſed fruſtra propinabantur Medicamenta, poſt notabilem temporis moram cadebat in terram & laborabat ſymptomatibus ſoporoſis, cum autem iterum animus illi rediret, laborabant lingua, Brachium dextrum, latus & pes paralyſi, & ne unicum verbum proferre poterat; interim per bona nervina tam interna quam externa curabatur paralyſis, ſed ſequebantur pedetentim atrociſſimæ convulſiones, tam univerſales, quam particulares; hinc inſtar globi movebatur in lecto, ridebat ſemper in paroxyſmo, delirabat & dicebat, ſe debere capere piſces, pretioſa & famigerata ſpecifica antepileptica nihil juvaminis attulerunt, tandem dirigebam curam meam ad vermes, & poſtquam ejecti erant ducenti majores & centum minores, optime ſeſe nunc habet.

§. XII.

Quod Ætiologiam hactenus commemoratorum Morborum attinet, tunc in aliquibus horum

peculiares directiones & scopi occurrunt, alii nudis passivis nituntur læsionibus; Activi ita dicti complectuntur Motus excessivos extraordinarios, quos peragit natura ea de causa, ut velit per eos hoc e corpore ejicere, quod peregrinum & nocivum est: hinc oriuntur omnes convulsiones, febres, passiones colico-hypochondriacæ, passiones hystericæ & sic porro. Melancholia, Mania, Phantasia corrupta, & omnia deliria ortum suum habent, quando anima vel natura in suo corpore materiam peregrinam, quæ corpori interitum minatur, percipit, & desperat, quod hanc materiam e corpore eliminare poterit, hinc perturbata, consternata & perterrita est, nescia, quo suos motus debeat dirigere. Motus vero aliquando etiam deficiunt, quando natura materiam peregrinam e corpore non ejicere potest, sed materia noxia dominium accepit, vel, si natura non enititur, ex falsa opinione, quamvis hoc posset facere, retrahit motus suos, & relinquit corpus suum corruptioni, quemadmodum illud videre licet in omnibus affectibus soporosis, Apoplexia, Hemiplexia, syncope, lipothymia. Morbi passivi sunt, quando naturam oportet pati, quod in corpore contingit, & quod corrigere non potest. e. g. Atrophiam tollere non potest, quia vermes succum nutricium devorant, ut non possit ille distribui in corpus, & quamvis natura appetitum vagum excitet, & novum nutrimentum elaboret, tamen præcavere non potest, quin vermes Tragœdiam suam de novo luderent.

§. XIII.

§. XIII.

Quod ad prognosin pertinet mentio illius quadantenus jamjam facta est in præcedentibus, ubi signa & symptomata vermium allegata sunt, ut haud necesse existimaverim, repetere, quod dictum est: unicum mihi occurrit, quando vermes habitaculum suum sponte deserunt, malum utplurimum omen esse, in febribus acutis: id etiam ex propria praxi observavi, quando patientes nullos cibos assumserunt, quod coacti fuerint vermes propter inopiam ciborum diversorium suum deserere, & æger iterum ex Morbo acuto interdum convaluerit; & seorsim notandum est, nullum tam peregrinum sit symptoma, tamque deleterium, quod vermes excitare non possint. Horrenda quidem symptomata quandoque a vermibus exoriuntur, ut non raro ex incantatione producta vulgo credantur, sed periti Medici multa adstantium admiratione cacodæmoni non raro ejiciunt.

§. XIV.

Quod tandem curam attinet, tunc illa consistit in eo 1) ut vermes enecentur 2) ut enecati educantur, nam causa ablata, scilicet vermibus expulsis, tollitur utplurimum effectus, scilicet omnes hactenus relati morbi. In hoc affectu hactenus cura mea simplex fuit, sed spero sufficiens. Dedi infantibus vermibus laborantibus portionem quandam seminis santonici pulverif. vesperi in melle vel lacte vel saccharo proportionatam secundum ætatem; matutino tempore utebar eadem me-

thodo, duabus horis elapſis ordinabam pulverem ex mercurio dulc. Dyagrid. & jalapp. cum quodam abſorbente in juſculo ſecundum ætatem. Ægrotos dehortabar veſperi & mane a cibis & potu, ne vermes ſaturentur a cibis. Præſertim hoc obſervandum eſt, quod decreſcente luna vermes ſint profligandi. Infantibus quibus ſem. Cinæ non potui adhibere, dedi pulv. ex merc. dulc. reiteratis vicibus per ſeptimanam: aliis ordinavi ſequentem pulverem Rec. ſem. ſant. corallin. ana ʒij C. C. ſn. ign. ʒj merc. dulc. ſcrup. 1. D. S. veſperi & mane in melle ſcrup. 1. pro doſ. Pil. Stahl. & Becher. per experientiam anthelminticæ ſunt.

Authores practici ſtudioſe monent in omnibus affectibus infantum curandis, imprimis in obſtructionibus ſemper ad lumbricos eſſe attendendum. In genere amara fere omnia ſunt vermifuga, præſ. pulv. cort. aur. deinde mercurialia, Æthiops mineral. merc. dulc. Muſcus corall. Sem. ſanton. in vino clareto eſt anthelminticum inſigne.

Ad enecandos lumbricos certiſſimum experimentum eſt ſequens: Recip. merc. vivi unc. 1. coq. in Aq. ſimplici (vel quod melius eſt in decocto aven. aut cereviſ. ſecund. libr. ß.) probe agitetur, invicem in lagena vitrea poſt ſubſidentiam mercurii decantetur liquor & detur infantibus pro potu ordinario. vel Recip. merc. vivi ʒj infunde per noctem in Aq. galegæ unc. ij decantetur liquor & propinetur mane.

Externe pulv. colocynthid. c. felle bovin. ſubact. cum gtt. aliquot ol. abſinth. circa umbilicum

pellit

pellit lumbricos: quod posterius medicamen tamen caute adhibendum est.

§. XV.

Ad latos lumbricos educendos provocari debet mitior vomitus & proximo die clyster. Scordium instar Thee, nec non chaccarilla. Quando utplurimum homines ex improviso & sine ulla causa manifesta, & signis alios morbos comitantibus, in eximium vitæ discrimen incidunt, veluti in affectum apoplectoideum c. extremorum obrigescentia & frigore, pulsu debilissimo (qui fere sæpe signum est Vermium latentium) uti & singultus, aphonia, quandoque improvisa mania, tunc de Vermibus dubitandum non est; in tali casu nil potentius est, quam statim dare c. brodio gr. VI. mercur. dulc. & gr. V. scamm. sulp. in adultis. In pueris vero minuatur dosis, vel potius detur merc. crud. ad magnitudinem pisi cum brodio, nam erit admiraculum.

Ascarides sunt quidem gens pusilla, sed expugnatu difficillima; namque licet omnes ad unam enematis vi exterminarentur; nova tamen & numerosa proles ab ovulis residuis mox renascitur: ideoque non tanta erit difficultas parentes solos proscribere; nisi insuper & proles & semina etiam ipsa penitus ejiciantur. Hoc optime fiet, si postquam ascarides jam disparuerint, non statim a remediis desistamus, sed per iteratas vices, ac inde semel in hebdomade hujusmodi exturbantia enemata repetamus. Ideo minime dubitandum est

est enema amarum singulis noviluniis injectum, & per aliquot menses repetitum, ascarides interempturum, exterminaturum & funditus deleturum esse.

Ad ascarides necandos enemata cum colocynthid. incocta & tantillo mercurii conducunt; prosunt huc etiam suppositoria ex amaris & mitius stimulantibus parata.

Crinones seu comedones sunt vermiculi subcutanei infantes ad atrophiam disponentes, de quibus mihi haud ex proposito sermo fuit hac tractatione; occupant hi plerumque loca subcutanea, imprimis dorsi, scapularum, humeri, crurum ac surarum pruritum molestum excitant, indeque inquietos & vigiles reddunt infantes, tandemque in tabem abducunt; hi optime cum lotione mercuriali sunt enecandi.

Proposito meo satisfecisse spero, quoniam brevissimam tantum delineationem hujus thematis proponere & modulum virium mearum exercere volui: Ante omnia vero Deo ter optimo maximo humillimas gratias ago, pro præstito suo auxilio, in exponenda hac practica observatione cui etiam hunc laborem consecro & devote precor, quod eundem constanti sua benedictione ita adjuvare velit, ut ipsius gloria, & proximi salubritas promoveatur.

